

16338

19.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO PHYSIOLOGICO-MEDICA INAUGVRALIS
DE

SEMINE VIRILI

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I N O

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIAE CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE WESTPHALIAE RELIQA

EX AVTORITATE

GRATIOSISSIMI MEDICORVM ORDINIS

PRAESIDE

DN. SIM. PAVLO HILSCHERO

MEDICINAE DOCTORE AC THEORETICES
PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
CELEBERRIMO

PATRONO AC PRAECEPTORE PIE COLENDO

PRO LICENTIA

IMPETRANDI GRADVM DOCTORIS SVMMOSQVE

IN ARTE MEDICA HONORES AC PRIVILEGIA

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR RESPONSVRVS

PETRVS LIEBMANN KAEHLERVS

SCHLEVSINGA HENNEBERGICVS.

AD DIEM APRILIS M DCC XXXI.


HORIS LOCOQVE CONSVETIS.

IENAE, LITTERIS MVLLERIANIS.



Physiol.

165,37



VIRIS
ILLVSTRI MAGNIFICO
EXCELLENTISSIMIS AC EXPERIENTISSIMIS
DOMINO
HERMANNO FRIDERICO
TEICHMEYERO

PHILOS. ET MED. DOCTORI CELEBERRIMO, ANATOMIAE,
CHIRURGIAE ET BOTANICES P. P. O. MERITISSIMO,
SERENISS. DVCIS SAXO-ISENACENSIS CONSILIARIO
ET VINARIENSIS AVLICO GRAVISSIMO, REGIAE
SOCIET. BORVSS. SCIENT. SOCIO ET ORDINIS
MEDICORVM H. T. DECANO
MAXIME SPECTABILI,
NEC NON

DOMINO
ADAMO AVGVSTO
SCHAUERO

MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO, SERENISSIMAE REGIAE
PROSAPIAE DVCIS VIDVAE SAXO-CITICENSIS ARCHIATRO
FELICISSIMO, ATQVE PHYSICO PROVINCIALI
SCHLEVSINGENSI DEXTERRIMO
PATRONIS PRAECEPTORIBVS
AC FAVTORIBVS

AD CINERES VSQVE PIE DEVENERANDIS
PRO INNVMERIS IN ME COLLATIS BENEFICIIS
IN MENTIS GRATISSIMAE TESSERAM
HANC DISSERTATIONEM INAUGVRALEM

D. D. D.

AVCTOR.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



Materia prima ex qua formatur semen virile in corpore
 S. I.

Sub feminis virilis voce intelligimus liquorem albi-
 cantem ac viscidiusculum, a sanguine arterioso po-
 tissimum in testibus secretum ac elaboratum, in para-
 statis vero, vasis deferentibus & vesiculis seminalibus
 perfectiorem redditum ac collectum, spiritu summe e-
 lastico, vitali & prolifico turgidum, adeoque torpido fu-
 turi hominis germini, in ovulo muliebri delitescenti, vitam &
 germinationem, mediante coitu foecundo, inferentem, pro-
 prio vero corpori inspirantem simul virile robur.

S. H.

Est nempe semen virile liquor, quia est corpus flui-
 dum ac humidum. Habet enim in se partes aquosas, aereo-
 aetheras, terreas, nec non salinas ac sulphureas, prout alii
 corporis humores, sed alia, eaque determinata, proportione
 mixtas. Vehiculum aurae feminalis constituunt partes aquosae;
 elasticitatem femini conciliant aëreo-aetherea, visciditatem
 terreae aquosis mixtae, & de volatilitate ac spirituositate eius si-
 mul testantur partes sulphureo-salinae volatiles, & odor quo-
 dammodo nauseosus eboris instar rasi, qui particularum sa-
 linarum volatilium alcalicarum & sulphurearum praesentiam
 sufficienter probat. Est porro liquor albicans & viscidu-
 sculus, cuius albedo a spumescencia & congerie vesicula-
 rum plurimarum, visciditas autem partim ab ipsius sangui-
 nis partibus gelatinosis, partim ab eius mora in vesiculis
 feminalibus, & hinc particularum comparate maiori cohae-
 sione dependet. Atque haec viscedo femini eum in finem
 a provida natura concessa videtur, ut latitantes inibi spiritus
 eo melius conservare possit, neque iidem tam facile dissipentur.
 Enimvero per observationes HEINRICI ab HEER, Cl. SCHV-
 RIGII in *Spermatologia*, aliorumque auctorum, constat,
 quod

(4)

quod semen nimis tenue & aquosum quasi, vel lacti simile, ad generandum ineptum fuerit deprehensum.

§. III.

Materia primaria, ex qua semen virile in organis spermaticis secernitur & elaboratur, est sanguis per arterias, dictas ideo spermaticas, ad testes viriles allatus. Enimvero hic liquor catholicus ac vitalis variae indolis constat particulis, quae in diversis organis secretoriis & visceribus sub varia forma secerni, simulque immutari solent, ut diversarum specierum liquores inde confurgant. Sic, experimentorum physicorum adiumento, in sanguine tali demonstrare valemus particulas globosas oleosas rubellas, seu sulphureas, terreas subtilissimas, nec non salinas, quae omnes copiosis aqueis, subtilibusque aereis & subtilissimis aethereis commixtae, ac motu vorticoso agitatae liquorem primo intuitu homogeneum ac colore purpureum exhibent, qualem sanguinem conspicimus arteriosum. Quemadmodum autem subtiliores, calidiores ac maxime mobiles huius liquoris particulae a veteribus, & non paucis recentioribus medicis, qui terminos illis usitatos non frustra reiciunt, sed potius rite explicant, spiritus vitales salutari solent: ita illae particulae a sanguine arterioso in cerebro, cerebello & medulla spinali secretae ac ulterius elaboratae, deposita purpurea veste, ac cum blandissimo lymphae rore permixtae, atque in fibras tubulosas horum organorum & nervorum filtratae, spirituum animalium, vel iuxta alios, liquidi nervei, aut succi nervosi nomen assumunt atque gerunt. Atque huius liquidi generosi ope mirificae in corporibus nostris motiones, tam involuntariae, quam voluntariae, nec non tot obiectorum perceptiones, quid? quod & ipsae cogitationes fiunt. Quicumque itaque accuratius secum pensabit, a sanguine arterioso dictis in locis liquorem tantae efficacitatis promi, eumque albicantem; is non adeo difficulter animo deinceps comprehendere poterit, quare ratione ab eodem latice purpureo aptis organis, in mari-
bus

bus sanis iustaeque aetatis, liquor prolificus secerni ac elaborari queat. Hinc minus a partibus eorum stamus, qui vel solum succum nervorum, vel solum chylum pro materia, ex qua semen elaboretur, venditant. Etenim solus succus nerveus materiam, ex qua oriatur semen, praebere non potest, siquidem nervorum rami ad has partes abeuntes admodum sunt exigui, ut ex illis tantam seminis quantitatem, quanta saepius observatur, secerni posse vero non consentaneum videatur. Nec possumus dicere chylum esse materiam proximam, ex qua hic liquor secernatur maxime laudabilis: nullae enim dantur viae chyliferae ad partes hasce immediate abeuntes. Atque quamvis chylum mixtum cum sanguine, nondum autem plane cum eodem subactum ad hasce partes vehi posse obiceretur: attamen globulos chyli prius, quam ad testes hoc modo deferri possunt, a sanguine in corde & arteriis, si non omnes, tamen quoad maximam partem subactos, & in sanguinis globulos esse mutatos, certum esse arbitramur.

§. IV.

Sed tum de ipsa seminis masculi materia, tum eiusdem affectionibus quisque melius iudicare poterit, postquam organa idem secernentia ac praeparantia, perficientia, aservantia, eiaculantia ac excretionem eiusdem adiuvantia, quorum vasa praeparantia, testes, epididymides sive parastatae, vasa deferentia, vesiculae seminales, prostatae atque ipse penis referri debent, breviter & quantum ad nostrum scopum attinet, exposita fuerint.

§. V.

Arteriae & venae spermaticae nomen vasorum praeparantium gerunt, quoniam istae sanguinem pro seminis elaboratione ad testes adducunt, et sic ad ipsius praeparationem conferunt, hae vero superfluum ab hac secretionem sanguinem ad venam cavam, ac quidem dextra immediate, sinistra vero prius ad emulgentem, reducunt. Suam autem arteriae seminales, in utroque latere una, exiles valde

atque angustae, trahunt originem a parte antica aortae paulo infra emulgentes; licet saepe natura circa originem & numerum horum vasorum mire soleat ludere: hinc oblique descendunt, & venis spermaticis sui lateris iunctae, atque communi his vaginula membranacea inclusae ad sui exitum in inguine properant, ubi recto fere ductu, secus ac in brutis, per anulum ovalem in tendinea muscoli oblique descendentis parte supra os pubis in duos ramos diuisae, ac in scrotum delatae ad testem & epididymidem abeunt. Venae contra spermaticae e testibus, radicibus innumerabilibus sanguinem, deposita prius ab eodem seminali materia, haurientes, & interiectis tenuissimis membranis iunctae, ac instar capreolorum vitis multifariam inflexae, corporis pampiniformis nomen hinc gerunt. Dum vero eadem ita complicatae ex testibus a latiori ambitu in corpus sensim gracilescens assurgunt, corporis pyramidalis titulo etiam insigniri solent. Sensim tandem altius atque altius haec vasa venosa versus venam cavam assurgentia in pauciores ramos coeunt, donec ultimum in unam saltem venam feminalem in utroque latere abeant, quae supra dictos terminos ingredi solent. Notare vero hoc loco refert, quod nulla inter vasa spermatica arteriosa ac venosa, arte sibi iuncta, extra testes dentur anastomoses, ceu quidam tales olim adseruerunt, & hodiernum statuunt. Enimvero industrius REGNERVS de GRAAF *Tract. de viror. organ. generat. inservient. p. m. 24.* hanc opinionem evidenti experimento & ratiocinio confutavit. Praeter haec praeparantia vasa vulgo dicta natura etiam testibus concessit venas & arterias ab hypogastricis & a pudendis, quarum arteriae praecipuum nutrimentum ipsis afferre solent. Testatur quippe CL. VERHEYENVS *Anatom. C. H. Lib. 1. Tract. II. c. 21. p. m. 111. edit. Colonienf. quod, ligatis licet arctissime vasis praeparantibus (ca vero ligari vidit in hernia varicosa) sic, ut reddantur omnino inutilia, testis non moriatur, imo ne quidem notabiliter emacietur. Sterilem tamen ipsum reddi concedit, quia vasa illa a partibus inferio-*

ferio-

❁ (7) ❁

ferioribus accedentia non adferunt materiam feminalem, quam tra-
dent tubulosae testium substantiae.

§. VI.

Quod autem duo ista corpora ovalia, magnitudinem parvi ovi pullastrae saepe referentia, in utraque scroti bursa detenta, & ab hucusque descriptis vasis sangviferis succum & nutrimentum suum maximam partem haurientia, quae vulgo testes nec non didymi vocari solent, sint vera feminis prolifici organa, vel ex eo patet, quia utroque teste castratione vel aliis casibus penitus ablato, neque etiam testiculo uno alterove, praeter solennem naturae ordinem ac numerum, in abdomine delitescente, generatio feminis prolifici seu foecundi cessat, licet materia quaedam femini analogae, procul dubio in vesiculis feminalibus, in perfecte etiam castratis aliquando secreta, ac cum liquore prostatarum mixta observata fuerit, quae hos non solum ad coitum armare, sed & ad eiectionem materiae cuiusdam, licet non prolificae, in eodem potentes reddere potuit. Notabile in hanc rem refert exemplum B. & celeberrimus WEDELIVS, *Pathol. Dogm. p. 637. ex Smetii miscell. med. l. 10. p. 525. de viro quodam maniaco, qui dilacerato ungvibus suis scroto, & evulso utroque teste sanae menti redditus, haud longo post tempore cum vxore sua coire, atque semen sicut ante morbum eiaculari valuerit, prout maritus ipse & uxor candidè sunt fassi. Cum igitur & Turcae observaverint, quod castrati aliquando coire possent, ideo ipsis hodie non sufficit aequè castratio per testiculorum evulsionem, sed quibusdam accedit mentulae abscissio, ut tutiores habeant foeminarum custodes, testibus rerum Ottomannicarum scriptoribus.*

§. VII.

Ipsa vero testiculorum substantia, quae nunc describenda est, e tenuissimis iisque longissimis vasculis seu tubulis feminalibus dictis, mirifice contortis ac convolutis conflata est, sicut hanc structuram accurata testium dissectio, eorumque in aceto maceratio, vel coctio in oleo rebin-

rebinthinae facta , & potissimum ex gliribus desumptorum, docuit. Atque in huius rei fidem prae ceteris scriptis evolvi merentur celeberrimi R V Y S C H I I , qui etiam post facta extrema , quae novissime ipsi contigere , non sine honoris praefatione nominandus est , *Thef. Anatom IV. Tab. I. Fig. 2. & Thef. IX. Tab. III. fig. 3.* Etenim magna cum animi voluptate contemplari licet, quod arteriae praeparantes seu spermaticae, penetrata tunica nervea testium, mox in plures, hinc in innumeros tandem ramulos abeant, qui a se dimittunt capillamenta subtilissima ac sensibus infinita, totum fere testem occupantia & constituentia, quae forte in vasa maiora ordinatim posita, atque in unum maius, per medium testem desinens, epididymidi continuantur, suum humorem innumerabilibus osculis evomunt. Venularum vero spermaticarum circa testes officium est, ut e ramusculis subtilissimis arteriarum spermaticarum istum recipiant sanguinem, qui ob crassitiem angustissima vascula seminalia testium penetrare non potuit, ipsumque versus venam cavam reducant. Constat quippe ex REGNERI de GRAAF experimento, *p. 24. l. c.* adducto, quod utique liquor quidam syringa in arteriam praeparantem iniectus cum vena spermatica communicet, et per eandem ex parte redeat. Praeter huc usque descripta vasa ad testium substantiam quoque abire, & per tunicas eorum disseminari ita solent nervi, (qui partim propagines paris octavi, quod notabilem plexum in abdomine format, partim & aliquando paris vigesimi primi spinalis medullae sunt) ut visus acie ulterius ipsos persequi non liceat. Satis ingeniose vero de his nervis iudicat modo laudatus GRAAFIVS *l. c. p. 34.* quod ulterius pergant versus testiculorum substantiam, ibique praestent duplicem usum, scilicet apportent spiritus animales, ad seminis generationem perquam necessarios, & firment testiculorum substantiam, seu simul iuvent secretionem seminis, afferendo fibris ac tubulis testium particulas spirituosas elasticas, pro vi motrice exerenda. Non minus

nus

nus e testium gobulis prodeunt vasa lymphatica admodum copiosa, quae humiditatem serosam a semine, alias tenuiori & aqueo futuro, secernunt, & ad cisternam lumbarem convehunt, facile conspicienda in brutis, si eis viventibus ligetur in ingvine corpus pampiniforme. Omnem vero vasorum a testibus quidpiam revehentium usum eleganter complexus est celeberrimus BOERHAVIUS *Institut. S. 647.*

„ his verbis : *Venulae exiguae & vascula lymphatica innumera, a testium corpore reducunt eum humorem, qui super est secretionem facta; sed & credibile in his, quibus conficitur, nec tamen evacuetur semen, magnam eius partem, & quidem subtilem, resorberi his vasculis, in corpore pyramidali venoso misceri (ex parte) sanguini, hinc totam oeconomiam corporis mutare.*

Haecenus vero allatae testium descriptioni hoc addendum nobis videtur, quod iidem ex tot diversi generis vasis compositi ac complicati, non nudi in duplici scroti cavitate haereant, sed a tribus tunicis, quae ipsis propriae ab Anatomicis dicuntur, involvi soleant, scilicet erythroide, elythroide atque nervosa. Prima, latine rubra dicta, est nihil aliud, quam expansio quaedam muscoli cremasteris, a magna parte anteriore & inferiore spinae ossis ilii orti, complectentis fibris suis carneis a parte postica tunicam vaginalem, ut ita hic musculus eiusque expansio testem sustineat, p. r. n. elevet ac exprimat. Secunda sive vaginalis, quae a processibus peritonaei instar vaginae efformata est, testem laxè ambit: sicut contra tertia, albuginea quoque adpellata, testis corpus proxime investit ac format. Atque hanc iterum in tres tunicas, nempe tendinosam, vasculosam & nervosam, a se divisam fuisse tradit *Magnificus ac Excell. DN. D. TEICHMEYERVS. Patronus ac Praeceptor pie devenerandus, Anthropol. p. 171.*

§. VIII.

Vt autem ad modum secretionis seminis, huiusque motum revertamur, dicendum nobis est, quod idem e vasculis seminalibus testium in unum vas majus, per utrius-

B

que

que testiculi medium excurrans, supra exposita ratione depositum ex eodem excipiant epididymides sive parastatae, quae nihil aliud sunt, quam corpuscula oblonga, testibus, tunica albuginea adhuc investitis, arctissime connexa, ex uno continuo cavo & cylindrico vase longissimo, in flexus innumerabiles complicato, constantia; quod continuum vas non procul a testibus, ubi flexus cessant, instar nervi majoris durius crassiusque evadit, indeque assumpto vasis deferentis & eiaculantis nomine supra os pubis sursum fertur per processum peritonaei iunctis venis & arteriis spermaticis, quibus circa abdominis introitum relictis, ad posteriora vesicae urinariae reflectitur, ibidemque quasi in capsulam dilatatum, ac rursus coarctatum desinit in principium vesicularum seminalium, sicut iuxta avtopsiam anatomicam docent *Cel. viri REGNERVS de GRAAF l. c. VERHEYENS*, aliique. De communione etiam hucusque proposita materiae seminalis, testium tubulos, epididymides & vasa deferentia intercedente, securos nos esse iubet sequens a *B. & Celeber. IO. MAVRITIO HOFFMANNO* in *Idea machinae humanae p. 84.* allegatum experimentum. „*Ligato quippe vase deferente alterutro*“ scribit, „*una cum eodem intercepto seminis motu, epididymis & testis proximus intumescit, et liquore vasi deferenti versus testem, & incumbentem epididymidem motu retrogrado impulso repletio ibi facta huc etiam pertingit.*“

§. IX.

E. dictis satis nunc patet, quod usus vasorum deferentium sit, semen in testibus confectum, ac ad epididymides derivatum ex his recipere, in suis cavitatibus, modo amplioribus, modo angustioribus, fovere, tandemque lento motu ad vesiculas seminales deferre; quae capsulae sunt duae membranaceae validae, peritonaeo adhuc cinetae, in varios gyros & recessus, inter se tamen communicantes, complicatae, spiritibus per nervos, a plexibus pelvis prodeuntes, advectis irriguae, vasisque sanguiferis duplicis generis, vesicae & intestino recto communibus, instructae, a parte posteriori colli
vesi-

(11)

vesicae positae, eidemque per varias membranulas iunctae, ac secum invicem per membranam musculosam colligatae, ac ab eiusmodi fibris tenuibus undiquaque fere robustiores redditae. Ex unaquaque harum vesicularum ductus egreditur excretorius angustus, qui fere digito infra collum vesicae in partem inferiorem urethrae inseritur. Ne autem semen ex uno latere erumpens in osculum alterius lateris impingat, natura inter utriusque ductus orificia parvum septum eminens extruxit, quod a quibusdam caput gallinaginis vel galli gallinacei dici solet. Non minus eadem prouida mater utrumque osculum exigua caruncula, instar valvulae, munivit, quae involuntarium perpetuumque seminis effluxum in urethram prohiberet: semine autem ob fortiorem impulsum exitum tentante, versus superiora reflecteretur, illoque emisso paulatim pristinum situm recuperaret, scite hanc rem ita exprimente laudato VERHEYENO *Anat. C. H. Tract. II. c. 23. p. m. 113.* E quibus omnibus rite pensitatis fati constare nunc arbitramur, quod usus vesicularum seminalium sit semen e testibus & epididymidibus per vasa deferentia excipere, in cellulis suis tortuosis in suos usus asservare, digerere & sic perficere, inde vero vel sanguini, unde secretum fuit, sensim per vasa lymphatica eiusdem aliquam reddere portionem, & hac ratione toti corpori virile communicare robur, vel venereo aestu fusum & turgescens, ob irritationem contingente simul constrictione fibrarum musculosarum ac membranarum, per descriptos ductus excretorios cum vigore in urethram evibrare. Simul vero cum saepius laudato VERHEYENO *Supplement. Anatom. Tr. I. c. 14. p. 61.* probabile censemus, quod per supra indicatos nervulos, ad vesiculas feminales protensos, spiritus animales in actu venereo non ad constrictionem solum harum confluant, sed insuper in earundem cavitates resiliant & semini admisceantur, id quod posterius etiam extra congressus actum suo modo fieri nobis vero simile videtur. Ita autem dictus auctor de priori nostri asserti membro l. c. differit:

„ Probatum hoc imprimis, quia nulla actione alia, saltem ut ego novi
 „ non magis diuturna & violenta, ita corpus debilitatur sicut semi-
 „ nis emissione in coitu, etiamsi vir ad hunc accedat satis paratus,
 „ adeoque magnam vim adhibere non debeat: non debilitatur au-
 „ tem ob deperditionem seminis, eiusve spirituum, prout ante conti-
 „ nebatur in vesiculis seminalibus; neque propter deperditionem pau-
 „ corum spirituum, qui in hoc casu requiruntur ad illum actum: er-
 „ go ob iacturam spirituum, qui tunc admiscuntur semini, cum alia ra-
 „ tio non occurrat: „ paucisque interiectis subiungit, „ quod
 „ admissa nova illa seminis per spiritus impraegnatione longe faci-
 „ lius detur ratio similitudinis proles cum patre.

§. X.

Semen ex vasis deferentibus & vesiculis seminalibus
 in urethram tempore congressus vel pollutionis nocturnae
 propulsum mox involvit liquor quidam albicans ac seroso-
 gelatinosus, qui eidem e corpore prostaticarum per decem vel
 duodecim ostiola cavernularum, ibidem exsculptarum, affun-
 ditur. Nullo autem modo hic liquor semen prolificum con-
 stituit, licet in coitu quoque una cum semine vero excerna-
 tur, sed saltem pro vehiculo litius, ne forsitan aura semina-
 lis spiritiosa admodum cito dissipetur, nec non pro lubrica-
 tione urethrae, inservire videtur. Substantia prostaticarum,
 (quas tamen, licet in plurali numero enuncientur, unicum
 saltem corpus, cordiforme quasi, mox ante collum vesicae
 positum & principium urethrae maxima parte ambiens con-
 stituit,) iudicatur naturae spongioso-glandulosae, ita, ut
 glandulae substantiae spongiosae sint intermixtae, insimul-
 que arteriolarum, venularum ac nervorum propagines cum
 dictis cavernulis excretoriis accurate investigantibus con-
 spicuae fiant. Ipsam tandem liquoris dicti excretionem, an-
 notante hoc ipsum inter alios celeberrimo IO. MAVRITIO
 HOFFMANNO l. c. p. 86. §. 12. iuvant musculosae fibrae
 a sphinctere vesicae ad corpus prostaticarum exprorectae, quae
 ipsum tunc coarctant, & ad liquidi contenti dimissionem
 comprimant.

Hac igitur ratione cum liquore prostaticarum, tanquam vehiculo suo, in urethra mixtus verus genitalis liquor ex hac, vigore fibrarum motricium, tum vesicularum seminalium, tum ipsius urethrae, nec non certorum musculorum penis, in uterum mulieris masculo robore proicitur. Quod ut recte capiamus, monendum est, urethram, eleganter annotante celeberrimo BERGERO, *Physiol. Med. lib. II. c. 1. p. 452.* extus tunica crasfiore & spongiosa ac fibris referta spiralibus, nec non magnam partem villis transversis musculorum acceleratorum constare; non minus eandem ambire corpora duo cavernosa seu spongiosa, utrinque ab ossibus pubis producta, deinde iuncta & ad glandem usque extensa. Dum igitur, tempore aestus venerei, vel ab anima cogitationes libidinosas formante, vel plane copulae carnalis actum intendente, vel ob irritationem, a seminis copia & turgescencia in vesiculis seminalibus factam, spiritus animales per nervos non solum in vesicularum seminalium, prostaticarum & urethrae fibras motrices, sed & in penis musculos erectores & acceleratores appellatos (quorum isti ab ossibus ischii proveniunt, & utrinque in corporum cavernosorum initia terminantur, hi vero a sphinctere ani orti partem posteriorem urethrae amplectuntur, & non minus utrinque in corpora cavernosa desinunt) largius mittuntur ac determinantur, aliter fieri non potest, quin hi muscoli contracti & rigidi facti, tam corpora cavernosa, quam ipsam urethram comprimant ac constringant, & sic ex arctiori facta urethra penis erecti & rigidi liquor genitalis cum impetu evibretur. Quatenus enim dicti muscoli commemorata corpora spongiosa, durante aestu venereo, comprimant, regressus sanguinis ex iisdem in venas impeditur, sicque penis exporrigitur & intumescit; remittentibus autem, cessante amoris impetu, a contractione musculis, illico penis flaccescit, quia sanguis, intra cavernosa eius corpora magna copia impeditus antea, & turgescens, per patefactos venarum meatus

profusus regreditur. Nam, ut porro ac scite scribit laudatus illustris BERGERVS l. c. p. 453. multum huc facit membri virilis singularis constructio, qua disseminatae per cavernosam eius substantiam copiosae arteriae non in venas, more naturae in partibus aliis solenni, sed in ipsam porosam substantiam abeunt, ex eaque venae non exiguis initiis, sed magnis atque conspicuis meatibus egrediuntur, & cribri modo amplis pertusae foraminibus, more venae in splene vitulino, corpus ipsum cavernosum pervadunt.

§. XII.

Cur vero cum semine per urethram urina non simul excernatur, de eo verba facere pauca operae pretium esse putamus. Ad semen nimirum eiaculandum, ut antecedentibus iam monuimus, fibrarum vesicularum seminalium requiritur constrictio: cum vero quoque opus sit, ut prostaticarum liquor in urethra admisceatur semini, non potest non contingere, ut dum fibrae musculares circa collum vesicae sese contrahendo prostaticas comprimunt, simul ipsum vesicae collum constringatur, atque hac ratione urinae effluxus impediatur. Cui rationi & haec maxime accedit, quod dum voluntas in hoc actu urinam emittendi deficit, nulla etiam fiat contractio vesicae a fundo versus eius cervicem atque sphincterem, sicque nulla adsit causa, cur hic relaxari & aperiri debeat.

§. XIII.

Nunc autem ordo doctrinae postulat, ut qualitates & efficacias, quas semini virili supra in definitione, §. i. adscripsimus, uberius paulo demonstremus. Primum vero liquorem hunc valde spirituosum pronuntiavimus: id quod non solum e modo secretionis & elaborationis ipsius, sed etiam ex effectibus sufficienter patere arbitramur. Etenim ratione prioris liquidum est, quod hic humor fere eodem modo secernatur, sicut liquidum nerveum in cerebro & medulla spinali a sanguine arterioso. Nam e ramusculis capillaribus arteriarum spermaticarum filtratur liquor genitalis in capillamenta seminalia, quae fere se habent sicut fibrae
substan,

substantiae cerebri medullaris. Et licet structura cerebri & testium maxime ratione conformationis grossioris & molis inter se non conveniat: attamen, per dicta, notabilis adest convenientia respectu vasculorum dimittentium & excipientium. Imo, rite pensitata structura haecenus exposita vasorum praeparantium, testium, epididymidum, vasorum deferentium ac vesicularum feminalium ipsarum, elucescet, quod iuxta effatum Cl. BOERHAVII l. c. §. 650. *nullus humor tanta tarditate gignatur, nec tot viis retardetur, aut quiescens foecetur, quam semen,* & per consequens ita exaltari, & tantam spirituositatem consequi queat. Porro veritati valde conforme censemus, quod etiam ipsius succi nervei aliqua portio femini in testibus, epididymidibus ac vesiculis feminalibus admisceatur per tot nervorum ramulos ad has partes abeuntes, sicut etiam §. 9. iam adseruimus. Ac licet obiiceretur, nervos illos esse admodum exiguos, tamen istorum sunt plures, nec opus est, ut tam magna succi adfluat quantitas, siquidem in pauca etiam insignis latere potest efficacia. Denique a posteriori sive ex effectu admodum clarum fit, quod liquor genitalis spiritibus admodum turgidus sit, quia scilicet eius excretionem paulo frequentiore admodum notabilis corporis languor sequi solet, ipse vero per coitum fecundum futuri ac novi hominis vitam in corpore mulieris inchoare, mirasque alterationes tum in huius, tum proprio corpore praestare potis est.

§. XIV.

Est igitur hucusque laudata seminis virilis spirituositas summe elastica, vitalis & prolifica, seu talis, quae torpido futuri hominis germi, in ovulo muliebri delitescenti, vitam & germinationem inferre potest ac debet; ceu quo actu primaria liquoris genitalis efficacia absolvitur. Quapropter semen virile hoc praestare non valens, omnibus licet a parte feminae ad concipiendum positis requisitis, non satis spirituosum est pronuntiandum. Etenim per experientiam genuinam satis firmum ratumque est, quod in hominibus

bus

bus & ad minimum animalibus, perfectioribus vulgo dictis, e sententia quorundam auctorum, nulla unquam proles possit gigni & produci ex ovulis femellarum, quae earum semen verum sunt, nisi iisdem principium vitale per auram vel spiritum feminalem marium diverso quamvis modo comunicetur, (licet nobis veritati magis consentaneum videatur, quod in omni animantium, & abiectissimorum insectorum quaque specie, impraegnatione ovulorum a femine masculino opus sit) & ita torpidum in ovulo delitescens futuri animalis germen vivum reddatur, seu claterem vitalem in se recipiat, & postea nutrimenti debiti atque fetus convenientis ope explicari, augeri & in corpus animalis, suae speciei similis, crescere queat. Hoc igitur tanquam certo praesupposito, uti re vera tale est, facile nunc patet, quod historiola illa, primum gallico idiomate consignata, qua matronam quandam gallicam filium ex imaginatione saltem concubitus cum marito absenti, sine alterius viri consuetudine, concepisse & peperisse, ipsumque hunc filium per sententiam Parlamenti Gratianopolitani pro legitimo partu habitum fuisse traditur, pro commento lucri causa factum habenda sit: quia, si mulier sola ad generationem sufficeret, sexus discrimen a natura factum foret frustraneum, sicut pluribus de huius historiolae indole & refutatione legi meretur *Historiarum Anatomicarum variorum LXI. Cent. VI. doctissimi THOMAE BARTHOLINI.*

§. XV.

Hac vero ratione de summe admirando conceptionis & generationis hominis negotio, quod magnam partem a femine virili dependet, in hac mentis humanae imbecillitate balbutire licet. Scilicet postquam in copula carnali semen masculinum cum vehiculo suo e rigido membro virili vel in vaginam, vel potius in uteri, tunc hiantis, cavitatem, imo quandoque in ipsas tubas Fallopianas usque feminae, cum impetu fuit proiectum, eius vis spirituosam & summe activam per dictas tubas ad ovaria fertur, ibique ovulum verum acma-
turum,

turum, vel quandoque duo aut plura, si talia adfuerint & spiritus efficacia suffecerit, penetrat, ac in eo contento germi h. e. corculo ac vasis novi hominis, vel primis lineamentis, motum elastici imprimi, simulque lympham in ovulo contentam in dictas partes impellit: quare ovulum tale impraegnatum cum inturgescat, sede & vasculis suis, cum quibus hactenus cohaesit, solvitur, & in tubam Fallopiam, quae orificio fimbriisque suis se ad ovarium applicuit, & quasi manu blande compressit, cedit, ac dictae tubae motu tonico, vel, si malis, peristaltico, aliquot dierum intervallo, in uteri cavitate devolvitur, ut ex eadem, tanquam fecundo agro, vel pro ulteriori partium formatione & augmentatione, vel iuxta alios saltem explicatione & debito incremento, sufficiens possit haurire nutrimentum usque ad legitimum partus tempus.

§. XVI.

Dum itaque sub benedictione divina per coitum fecundum vita hominis in ovulo muliebri inchoatur seu conceptio fit, quae se mox pulsatione corculi, quod ideo punctum saliens dicitur, prodit, admodum probabile censemus, quod etiam hoc ipso primo conceptionis momento anima rationalis cum primis fetus rudimentis, ibidem delitescens, communicetur, licet modum huius communicationis definire minime audeamus. Si quid tamen de arduo hoc negotio nobis dicendum fuerit, fatemur, nobis arridere verba CALOVII, quibus MASIVS *disputationem de immortalitate animae, quatenus ex lumine naturae constat*, claudit, & haec sunt: *Neutrius (coniugis) semen actu animatum est, sed facta mixtione, cum conceptio sequitur, (vel potius fit) ab illa mixtura prodit semen animatum, non quod anima divisibilis sit, sed quod illa συνγῶσις, qua in carnem unam & unum sunt coniuges, demum acceperit benedictionem divinam ad propagationem generis, indeque anima non accendatur, sed semen animatum prodeat.* Deus enim qui potuit substantias, tota natura diversissimas, animam scilicet immaterialem & corpus materiale tam arte coniu-

C

gere,

gere, potuit etiam ipsis in unum subiectum connexis & potestatem concedere simile individuum generandi.

§. XVII.

Post haec brevissimis exponendum est, sicut etiam etiam dictis fere patet, quod semen toti corpori virili egregium conciliet robur, quatenus in primis in vesiculis seminalibus retentum, spiritibusque animalibus turgidum, per vasa lymphatica sanguini, unde secretum fuit, ex parte reddi solet. Atque hanc assertionem veram esse ex contrario videmus sole clarius. Etenim, qui veneri nimis indulgent, illi viribus satis manifeste deficiunt, oculi fiunt tristes, totiusque corporis vigor perit. Porro observamus, quod ante pubertatem castrati nullam protrudant barbam, sint imbelles & puerorum instar voce loquantur debili: cum contra in iis, in quibus feminis secretio bene succedit, & eiusdem rarior paulo adest excretio, maior adfit animi corporisque vigor, qui etiam inter alia e voce gravi patescit. Non minus constat, quam notabilis in foeminarum corporibus post coitum fecundum a recepto seminis virilis contagio contingat mutatio. Uteri quippe substantia hactenus compacta brevi rarefcit ac notabilem sanguinis copiam in vasa & tubulos suos recipit; hinc ordinarie consuetus mensium fluxus cessat. Corripuntur etiam foemellae leni horripilatione non raro, frequentius vero nausea, carniū maxime, nec non vomitibus horis saepe matutinis, item a pastu.

§. XVIII.

Coronidis loco in Celeb. LEEVWENHOECKII eiusque asectorum verminosam de semine virili theoriam licebit animadvertere brevissimis. Statuit nempe ille, in semine virili vermiculos dari, seu animalcula viva celerrime se moventia, quae oculo armato in plurimum animalium semine se observasse testatur, & ab hisce dependere seminis efficaciam & fecunditatem, istis autem deficientibus semen ad impraegnationem esse minus idoneum. Varias quoque sistent opiniones sententiae huius verminosae fautores, quomodo ex
hisce

hifce animalculis homo generetur. ANDRY putat, vermes per semen in uterum delatos undique cavitatem uteri perambulare, usque dum ovulum ex ovario huc delatum, & in ea extremitate, qua ovario adhaesit, foramine praeditum, attigerint. Quo facto unum horum vermiculorum foramen illud intrare & ocludi, posteaque in homunculum mutari asserit: hunc autem vermem ovulo exire non posse ait, quia valvula quaedam foramen illud ocludens regressum impediat. Alii rursus alium modum, quo ex animalculis istis homines fiant, sibi excogitarunt. Ast hanc sententiam potius imaginariam, quam veram esse arbitramur, quia non omnes illos vermes observarunt, qui tamen ab omnibus & in omni femine virili annotari deberent, si naturaliter in eodem existerent: id quod tamen vera ac constanti experientia nondum evictum est. Quapropter nos cum laudato Cl. VERHEYENO *Supplement. Anatom. Tract. I. Cap. 15.* vero magis consentaneum iudicamus, „quod putatitia animalcula in femine masculo brutorum observata, quae velocissime moveri solent, sint saltem particulae quaedam oblongae, in medio crassiusculae, a spiritu seu aura genitali fortiter commotae. Atque hoc vel ex eo magis confirmatur, quia putatitia haec animalcula calore ignis satis moderato illico mori, sed in frigore per plures horas subsistere solent ex observatione D. HARTSOVCKERI: cum tamen animalcula terrestria pene omnia recenter nata, & praecipue homo, iugi calore foveri debeant; frigori vero exposita cito necentur, illudque crescente aetate melius perferant. Quis credat animalcula in femine, quae non forent nisi illorum exordia, iisque longe imperfectiora, melius perferre frigus, quam moderatum calorem. Concludit igitur VERHEYENVS p. 70. longe esse verifimilius per calorem etiam moderatum cessare motum dictorum corpusculorum, atque ita praetensam illorum vitam, quatenus per calorem statim dissipantur spiritus genitales, qui dicta corpuscula iugiter agitabant, ex natura sua val-

„ de fugaces, & vice versa per frigus coërcentur. Ast de hac controversia ipse VERHEYENVS l. c. legi meretur, qui modestum suum circa hanc hypothefin dissentium multis exponit rationibus. Relinquimus itaque hanc sententiam ipsius inventoribus & fautoribus. „ Cui enim fini pe- „ ne infinitus animalculorum numerus in matricem bovi- „ nam, ovinam, equinam, imo humanam immissus con- „ duceret, cum saepissime unicum, raro duo & rarissime tria „ veniant ad perfectionem?

§. XIX.

Quod restat, nostrae de semine virili tractationi merito felicem imponant finem devotissima ad omnipotentissimum & sapientissimum nostri atque huius universi creatorem fusa verba e *Psalms CXXXIX. v. 14* LAUDO TE, QVOD STV- PENDO MODO ET MIRABILITER FACTVS SVM: MIRABILIA OPERA TVA, ET ANIMA MEA HOC AGNOSCIT PROBE,

FINIS.



Physiol. 165, 37